

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Homo k
cum uariis

Qui usum uestimentorum primus adinuenit, considerauit quod singula queque nascencium propria quedam habeant munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna tegit uolucrem, piscem scama operit, lana ouem induit, pilus iumenta et feras uestit, concha testudinem excipit, ebur elephantem iacula non timere facit. Nec tamen sine causa factum est, quod cum singula animancium nature sue arma habeant secum nata, solus homo inermis nascitur et nudus. Oportuit enim ut illis, que sibi preuidere nesciunt, natura consuleret, homini autem ex hoc eciam maior experiendi occasio prestaretur, cum illa que ceteris naturaliter data sunt, propria ratione sibi inueniret. Multo enim magis enitet nunc ratio hominis hec eadem inueniendo quam habendo claruisset, nec sine causa prouerbium sonat, quod ingeniosa fames omnes excuderit artes.

Hugo in didascalicon libro I.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

primus] prius P V¹ V² L¹ L²; habeant] habebant P V¹ V² L¹ L²; testudinem] testitudinem C P V¹ V²; animancium] animalium P V¹ V² L¹ L²; nesciunt] nesciant L²; ratione sibi] sibi ratione P V¹ V² L¹ L²; ingeniosa] ingeniona M